



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XVIII. de confessis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

Ad num. 3. in fin. addit: Effectus sequestrationis est, quod sequester finito tempore teneatur a ditione sequestraria, ut rem sequestratam una cum fructibus tempore sequestrationis perceptis, quos victori cum servare oportet, exhibeat & restituat. *L. si apud quem §. i. ff. de posit.*

AD TIT. XVIII.

De Confessis.

IN principio tituli post verba illa: *relegetur ab onere probandi* addit; legitima probatio fit quatuor modis, vel enim fit per testes, vel per instrumenta, vel per juramenti praestationem, vel per adversarii confessionem. Hanc facillimam esse constat, & ad litem expeditionem promptissimam esse asserit *Vallensib. l. 1. n. 1.*

Ad num. 7. in fin. addit: Cum inter practicos saepe fiat mentio juramenti Dandorum & Respondendorum, quia illa sint juramenta Resp. Ex *Vallensib. l. 1. n. 2.* quod per usum diuturnum sit introductum, quod post litem contestatam antequam alia probationes suscipiantur loco interrogationum, quae olim de jure Digestorum fieri solebant, de quibus in *Tit. ff. de interrogat. in jur. faciend. v. g.* an adversarius possideret pro haerede, an ex testamento, an ab incestato, an in totum, an pro parte, tam actor ex porrecto à se libello, quam reus ex sua exceptione ediceret aliquas positiones, easque suo adversario in judicio proponeret, ubi tamen proponens prius debet praestare juramentum calumniae, & hoc vocatur

juramentum Dandorum, cui jam proponuntur illae positiones, ut desuper respondeat, debeat & ille antequam respondere velit, prius praestare juramentum calumniae, quod vocant Practici juramentum Respondendorum. *Clement. saepe §. quia positiones de V. S. junct. ca. dudum sup. de elect. c. un. sup. de litem contest. c. cap. 2. de confess. Vallens. d. n. 2.* Idque fit plerumque, per verbum *Credit vel non credit*, quia responsio per verbum dubitat, vel dubito non admittitur, nisi forte positio consistat in facto alieno, ad causam tamen controversam faciente, quia alias negari possit responsio, si enim impertinens esset, interrogatus respondere non tenebitur. *L. fin. in fin. ff. pro suo.* Ubi ex *Gail. lib. 1. obs. 80. n. 2.* notandum, quod post litem contestatam, si quis positionibus adversarii respondere iustus, id facere contumaciter recuset, quod habeatur confessus omnia ista, quae in positionibus continentur, vel etiam negasse, in quantum ipsi durius est; si vero justam causam habeat, responsionem suam legitime recusare potest, sic si esset positio incerta vel dubia, vel si sit ex omni parte impertinens, ut si nullo modo tangat causam principalem in libello expressam, vel si sit captiosa & cavillosa, ut inquit *Vall. h. n. 4.*

AD TIT. XIX.

De Probationibus.

AD num. 6. in fin. addit: Dices, regulam esse, quod per rerum naturam factum negatis non egeat probatione, quia dici solet, quod negationis nullae sint